

emigmate qli in hac tnta mden

pat. s3 nō rotat pñcē intm



VII.

THESES NONNULLAE
SELECTIORES,

EXTRANSA-
CTIONUM MATERIA
DESUMPTAE,

Quas

DIVINA FAVEN-

te gratia,

SUB PRÆSIDIO

Clariss. ac Consultissimi viri, Dn.

ANDRÆE DINNERI J.C. ET

Antecessoris in Academia ALTORFI-
NA celeberrimi &c.

PUBLICE IN AUDITORIO WEL-
feriano pro virili propugnabit,

Ad diem XXIV. April.

JOHANNES STIRN

Fuldensis.



NORIMBERGAE,

Typis Abrahami Wagenmanni.

M. DC. XIII.

PRVDENTISSIMIS
Spectatissimisque; viris

Dn. JOHANNI STIRN, honestissimo apud
Fachsenes loco.

Dn. LUDOVICO HOPFF, Consuli & sca-
binatus assessori apud Fuldenses meri-
tissimo.

Dn. JOHANNI CASPARO HOPFF, E-
jusdem Reipubl. Fuldensis civi dignif-
simo


*Parenti, sororiis, fautoribus & pro-
motoribus suis honorandis.*

Has studiorum in Jure civili pri-
mitias

Dedicat, Consecrat, Offert

Auctor & Respondens.

THE-



THESIS PRIMA.

Selectiores quasdam ex utilissima & subtilissima, ut eam Bartol. appellat, transactionum materia quæstiones velut per Satyram delibaturi, nō absurdè facturi videmur, si transactionis definitionem ante omnia proponamus.

Ea autem talis constitui potest: Quod transactio (a) est conventio, (b) de lite aliave re dubia terminanda, (c) aliquo dato, retento, vel promisso. (d)

(a) ita per metonymiam dicta: Si enim propriè loquaris, donatio & transactio cause pactorum sunt, non pacta, ut dicit Cujac. ad l. 1. ff. de transact. Generatim verò & per analogiam significat omne id, per quod à lite disceditur, ut jusjurandum, l. 2. & ibi Gl. ff. de jurejur. ut sententiam judicis, l. 1. ff. quemad. testam. aper.

(b) Dicimus autem transactionem conventionem, quod traditur in l. 1. §. conventionis. ff. de pact. Omnis enim transactio inter convenientes fit, l. qui cum tutoribus. §. §. 1. ff. hoc tit. hoc est, in omni transactione transigentes ex diversis animi motibus in unum consentiunt, sive in unam sententiam concurrunt, hoc enim propriè est convenire. d. l. 1. §. conventionis. ff. de pact.

(c) Qui enim transigit, de re dubia & lite incerta transigit. l. 1. ff. h. t. Ex quo textu differentia pacti & transactionis facillimè cognoscitur.

(d) Adjicitur in definitione, aliquo dato, retento vel promisso, propterea quod transactio his carens minimè procedit. l. transactio 38. C. de transact. l. 1. ff. eod. quæ verba Wesenb. in paratit. hic nu. 2. ad formam & differentiam transactionis refert. Approbat hanc definitionem, Clariss. ac Consultiss. vir. D. Scipio Gentil. præceptor meus plurimum colendus in prælect. ad

tit. Cod. de transact. ab optima definitionis nota, quam Aristot.
4. Phys. tradit, eam commendans, quod ex ea omnia ferè, quæ
de transactionibus incidere solent, illustrari & decidi possint.

II.

Cæterùm cum conventionis verbum generale sit, &
omnia ferè negocia, quæ inter homines geruntur, com-
plectatur, (a) Quæritur an contractibus vel pactionibus
annumeranda sit transactio? Et utriq; generi tam pactionum,
(b) quàm contractuum, (c) sed in nominatorum
tantùm, annumerari posse putamus. (d)

(a) l. 1. §. conventionis. ff. de pact. Est enim conventio tam
geeneralis, ut nullus contractus, nullaq; obligatio reperiat, quæ
conventionem in se non habeat. (b) l. 3. 9. 11. 13. 17 C. de transact.
Cujac. ad l. 1. C. eod. latè Borcholt in tract. de transact. c. 1. à n. 4.
usq; ad 14. (c) Borch. d. loco Clariss. Dn. præceptor Scip. Gent. in
proem. ad tit. C. de transact. (d) l. contractus 17. C. de fid. Inst.
quia transactio civile sive legitimum nomen non est: Borch. ad
§. actionum autem Instit. de action. nec nisi implemento secuto
contractus formam induit, l. sive apud C. hoc tit. eamq; non pro-
priam, sed generalem, qualis est, in Do ut des, vel Do ut fa-
cias, vel Facio ut des, vel Facio, ut facias, l. 2. 4. 6. 9. & 17. C.
de transact. Goedd. ad l. ut si 12. ff. de V. s. facit etiam pro hac
sententia. l. ult. C. de litigios. arg. l. 5. 6. ibiq; Gothofred. ff. de
præscript. verb. l. 21. C. de pact. l. 7. C. Com. utriusq; jud. l. 34.
C. de rer. permut. Wesembec. hic n. 2. Donell. ad prim. tit. C. de
transact. n. 11. Hackelm. disp. 2. th. 13. Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 1.
lit. G. dissent. solus Coras. lib. 1. miscell. capit. 23.

III.

Transigere autem possunt omnes, qui & pacisci pos-
sunt: (a) etiam alieno nomine. (b)

(a) Dummodo mente sana sunt, etiamsi corpore egrotent.
l. sanum 27. C. de trans. Etiam mutus, surdus & absens: Sed
per nu-

per nudum tantum pactum, arg. l. 43. ff. de procur. l. 1. ubi Bart.
za. Cujac. ff. de V. O. (b) c. qui ad agendum de procurat. in 6.
l. iusjurandum 17. §. fin. cum 2. ll. seqq. l. iusjurandum 34. §. 1.
ff. de jurejur. Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 2. lit. C.

IV.

Procuratori tamen sine speciali mandato transigere
non permittitur, etiam si liberam agendi potestatem ha-
beat.

L. mandato 60. & l. procurator. 63. ff. de procur. Quia pro-
curatores agendi, non etiam decidendi potestatem habent, We-
semb. hic n. 4. nisi sit procurator in rem suam. l. 55. ff. de procur.
Gl. in l. 7. C. de transact. clariss. Dn. Præcept. Scip. Gentil. in
prælect. ad d. l. 7. C. eod.

V.

Si patrem de bonis filij emancipati, vel etiam filijfam.
adventitij, sine eorundem consensu transigere jura non
sunt: (a) nisi eo casu, quo ei alienatio concessa est. (b)

(a) l. de re 10. ff. h. t. Cujac. ibid. l. fin. §. 3. C. de bon. qua lib. ne
scilicet usufructuario detur potestas interverendi proprietatem
Salicet. in l. 12. C. hoc tit. Diss. accurs. Bald. & alij. (b) Sic rectè
quidam hic distinguunt, inter alienationem necessariam & vo-
luntariam Borch. cap. 4. n. 11. d. tract. de trans. Wesemb. hic n. 4.
Pinell. in l. 1. C. de bon. maern. n. 21. & 44.

VI.

Eodem Jure nec pater de dote filia nomine petenda,
absq; ejus consensu rectè transigit.

L. 2. §. 1. & 2. ff. solut. matrim. ubi utilitatis gratia receptum
est, ut filia furiosa pro consentiente habeatur, aliter enim com-
modè illi consuli nequit, nisi ista admittatur fido, quia pater ei
loco curatoris est, Duaren. & Gothofred. ibid.

VII.

Contrarium in vasallo, decidendi causa de bonis feudalibus transigente, obtinet.

Quo casu consensus domini non requiritur, sed cavere hic debet vasallus, ne feudum planè transferatur in alium possessorem, cap. un. in princ. de prohib. feud. alien. per Loth. cap. un. de prohib. feud. al. per Frid. Borch. tract. Feud. c. 8. n. 44. & seqq. Wesemb. consil. 60. n. 13. Cujac. ad c. un. si vasall. de benefic.

VIII.

Transigere verò de crimine capitali (a) excepto adulterio (b) prohibitum non est: In alijs autem publicis criminibus, quæ sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet, (c) citra falsi accusationem. (d)

(a) Ratio cur de crimine capitali transigere liceat, affertur, quia licet unicuiq; sanguinem suum quovis modo redinere. l. i. ff. de bon. eor. qui aut sent. (b) Ne scilicet sordido & ignobili patre nati liberi, per adulterium ingenuis & generosis familijs inserantur. l. super statu C. de quest. Accurs. hoc ideò constitutum putat, quod adulterij crimen ceteris est gravius & detestabilius can. quid in omnibus 32. quest. 7. dicente Apostolo Paulo. i. ad Corinth. 6. Omne peccatum quodcunq; homo fecerit, extra corpus suum est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat. Accedit quod transigens super adulterio reus fit lenocinij: l. 2. §. 2. l. is cuius. 14. in prin. ff. ad L. Jul. de adult. facit. l. miles. 11. ff. eod.

Et nulla re magis leditur respubl.; quam interest legitima potius quàm probrosa & incerta sobole replevi. Quanquam hodiè Dd. in adulterio impunè transactionem fieri tradunt, maxime post pœnam impositam, Joan. Papon. lib. 22. tit. 9. arrest. 12. Clar. in §. fin. quest. 58. n. 11. Soarez. in thes. in Verbo adulterij nu. 90. & seq. Adeò Leges quoq; & mores suum habent ævum & senium! &

Ut silva

Ut silva foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita scitorum vetus interit aetas,
Et juventum ritu florent modo nata, vigentque.
Liceat enim Flacci versus levi παρωδία, immutatos à ver-
bis adjura & presentem questionem deflectere.

(c) Cessat namque hic ratio redimenda vita & sanguinis, ita
ut qui de iis paciscuntur & transigunt, pro confessis habeantur.
l. ult. ff. de præv. l. Imperatores. 34. ff. de Jure fisci Cujac. obs.
6. cap. 11. Gl. in l. transigere. C. de transact.

(d) Quidam hic volunt, citra falsi accusationem idem si-
gnificare quod excepta falsi accusatione, ut Fach. lib. 1. controv.
cap. 9. quam tamen sententiam Donell. refutat dicens: Eam re-
pugnare rationi sermonis latini, in quo τὸ citra, nunquam su-
mitur pro Extra vel præter, sed sæpius pro sine, ut in l. si ex
pretio. 6. C. si cert. pet. l. 19. C. de procur. l. 24. C. de R. V. l. 15. Cod.
de Jur. dot. Nos priori sententia, quæ & Græcorum est Inter-
pretum, salva Clarissimi Donelli pace, accedimus.

IX.

Idem jus & rationem, quæ in adulterio, in incestu
quoque & raptu obtinere, non dubitatur.

Cum incestus & raptus atrociora sint crimina quam a-
dulterium, & si quis nuptam rapuerit duplici crimine, tam
raptus, quam adulterij teneatur. l. un. §. qua multo 2. Cod. de
rapt. virg. Gl. Bartol. Del Rio & alij ad dict. l. transigere. Cod. d.
transact. Clariss. Dn. Præcept. Scip. Gent. in prælect. ad dict. l.
transigere. Quia etiam ei qui incestum commisit, vel vir-
ginem rapuit, denegatur omnis appellatio, quæ tamen Juris
naturæ est. l. 3. ff. de J. & J. Ergò multò magis transa-
ctio ipsi denegabitur. Accedit quod parentes (quorum maxi-
mè vindicta intererat) si dolorem remisissent raptori filie,
depor-

deportatione plectuntur. d. l. un. §. 2. in fin. C. de rapt. virg. Ex
quibus omnibus colligimus, transactionem in his quoque crimi-
nibus interdictam esse.

X.

Hinc dicendum videtur, in capitalibus sanguinarijs, tam à parte actoris, quam rei transactionem concessam esse.

Quod enim legitime fit pœnam non meretur. l. 4. C. ad L. Jul. de adult. & qui principis vel Judicis permissu ab accusatione desistit, non punitur. l. destitisse. ff. ad SC. Turpill. E. nec is qui legis auctoritate transigit, puniendus erit vid. Clariss. Dn. præcept. Scip. Gentil. in prælect. ad d. l. transigere.

XI.

De eo tamen, quod testamento relictum est, non nisi inspectis testamenti tabulis, transigere conceditur.

Quod rectè etiam ad sententiam extenditur, quàm de controversia testamentaria iudex ferre nequit, ommissa inspectione tali. Diss. Accurs. Bald. & alij. Hinc cautela promanavit in praxi, de qua post Dd. eleganter Gail. lib. 2. obs. 139. n. 10. nimirum ut valeat ejusmodi transactio, semper faciendam esse mentionem de ipso testamento, & addenda verba: Inspectis cognitisque testamenti verbis, &c. Confer. l. ult. C. de reb. cred. ubi rectè Accurs. Non idem dicemus in testamento nuncupativo obtinere: nec ubi donationis pacto quis remisit, verbi gratia, Quicquid sibi Mævij testamento datum aut relictum fuisset: in quibus inspectionem non esse necessariam arbitramur.

XII.

Sic neque de alimentis futuris, ultima voluntate relictis, sine prætore privatim rectè transigitur, nisi causa eorum facta sit melior.

L. 8. ibiq.

L. 8. ibiq; Dd. ff. de transact. ne scilic. modico presente contenti alimentarij, contra testatoris voluntatem, fame laborarent Sichard. ad d. l. 8. C. de transact. Addimus hic ultimã voluntate, quia alia est ratio alimentorum per contractum constitutorum. Alia item ratio alimentorum per donationis pactum remissorum: in quibus cum Francisc. Connano prætoris auctoritatem non requiri statuimus. lib. 5. comment. c. 7. n. ult.

XIII.

Coronidis loco sciendum, de quavis re dubia, lite incerta, & nondum finita, rectè etiam post causæ conclusionem: non etiam post rem judicatam transigi.

L. si causa cognita 32. C. de transact. l. eleganter 23. §. 1. ff. de condict. indeb. Ratio est, quia transactio tantum fit de re dubia & litigiosa. l. 1. ff. h. tit. Sed post rem judicatam, lis, quæ jam certa est & finita, dubia dici nequit. Imò res judicata pro veritate habetur. l. sub specie & tot. tit. ff. de re jud. l. 207. ff. de R. J. tantæq; est potentia, ut velut alter Gygis fatidicus annulus apud Platonem, de non ente ens, de albo nigrum, de falso verum faciat: non quidem essentialiter, sed quoad effectum Bald. in c. in presentia extra de renunc. Fas. in l. Julianus verum debitorem 59. ff. de condict. indeb. Joann. Parlador. rer. quotid. lib. 2. c. 22. nu. 1.

COROLARIA.

I.

AN pejeranti divino nomine invocato, Jure civili poena aliqua constituta sit? Neg.

II.

Utrum donatio, omnium bonorum præsentium & futurorum, inter vivos valeat, quæritur? Negat Barto-

B

lus &

ius & rectè. Sed an tota vitiabitur, an tantùm quo ad bona futura? posteriorem sententiam probamus.

III.


Præterea an ita valebit omnium bonorum donatio ut donatarius ea post mortem demum donantis consequatur? Non opinamur nisi inter milites donatio talis intercesserit.

IV.

Qui ad reprehendendum alios proclives sunt, eos non rarò in fraudem ab affectu isto suo præcipitari videmus. Exemplo nobis est Marcianus J. C. qui ad Julianum notas scripsit. Dum enim studiosius quod carpat in Juliano, captat, quod ille simpliciter scripserat **ACTIONEM IN FACTUM DARI** in ea specie conventionis innominatæ **DO ut facias**, quæ proponitur *in l. 7. §. 2. vers. & ideò ff. de pact.* Calumniosè interpretatus est de actione in factum prætoriam, quod interpretari debuit, de actione in factum civili, sive præscriptis verbis, quæ & **condictio incerti** appellatur.



MART.



MART. RVARIHOLS.
lusus Epigrammaticus.

C Onscia coelorum Dea, dic, Quæ STELLA, vel unde
Astriferum radiis pinxerit orta peplum?
Sic ego: Musa mihi sic reddidit, illa propinquâ
Haftenus à solis lampade tecta fuit.
Sol est Dinnerus, paullum modò cujus ab ore
Progrediens, jubaris mutua tela jacit.
Scilicet ut fusco metatus castra jugali
Lucifer, ætherium signat adesse DEUM.

F I N I S.



... in hac vita uidentur ...

...
...
...

MART. RVARI HOLS.

... Epigrammatica.

C Onia co lorim Des, die Quis tilla, veludo
Afflictorum radis pinxerit ora pqlum?
Sic ego: Mula mihi de reddidit, illa propinqua
Hactenus, solis lampade recta, tunc
Sol est Diuina, pallium modo cunctas ore
Progradibus iuda, inuenerat solis iacit
Sollicitudo mecum casta iugali
Lachry, ebrietum signatidelle Deum.

F I N I S



MART.



Handwritten text at the top edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514




VD 17

Woo ✓

Handwritten text at the bottom edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.





VII.
THESES NONNULLAE
SELECTIORES,
EX TRANSA-
CTIONUM MATERIA
DESUMPTAE.

Quas
DIVINA FAVEN-
te gratia,
SUB PRÆSIDIO
Clariss. ac Consultissimi viri, Dn.
ANDRÆE DINNERI J.C. ET
Antecessoris in Academia ALTORFI-
NA celeberrimi &c.

PUBLICÈ IN AUDITORIO WEL-
feriano pro virili propugnabit,
Ad diem XXIV. April.

JOHANNES STIRN
Fuldensis.



NORIMBERGAE,
Typis Abrahami Wagenmanni.
M. DC. XIII.